



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

9. Quòd multiplici ratione decreuerunt Sancti vt certis horis & temporibus orationi mentali religiosi vacarent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

cruciatu expers: cum suo dulcissimo cibo delectabili refectione & spirituali lætitia quam degustare solebat: frustari se conspicit. Itaque concludentes dicimus quòd opportunum orationis tempus est nocturnum, secundum illud Psalm. In die mandauit dominus misericordiam suam & nocte canticum eius, ac si apertius diceret: In die iussit dominus operibus vacare misericordix, & nocte cantico laudis suæ.

HORAE autem orationi congruentes secundum Hieronymum, & Bernardum, sunt post vigilias & post completorium: in istis enim horis seruus Dei ad vacandum spiritualibus exercitiis est expeditior. & hæc sufficiat quantum ad tempora, & horas.

QVOD MULTIPlici RATIONE

Sancti determinata assignauerunt tempora & horas, in quibus vacandum est mentali orationi.

CAPVT IX.

O Fratres dilectissimi non immeritò statuerunt sancti Patres vt certis horis diei & noctis mentali orationi religiosi vacarent. In modum enim secundum deuotum Bonauerum conuenit proficere cupienti, vt assidue orationis & deuotionis studiis exerceat cor suum: siquidem vt prædictus sanctus dicit: religiosus qui hanc orationem quotidie non frequentat, non solum est miser & inutilis, sed uera animam mortuam portat in corpore uiuente. Cum enim tanta sit efficacia & uirtus orationis

ipsa sola certamina & tentationes superat spirituum malignorum. Et omnis anima quæ orationis rore non irrigatur, facit imperfecta opera & multiplici infecta fastidio. Et è conuerso oratio est valde utilis & inæstimabilis virtutis ad omnia proficua promouenda, & noxia amouenda. & ideo

SI VIS patienter tolerare aduersa, sis homo orationis.

SI VIS tentationes & tribulationes superare, sis homo orationis.

SI VIS prauas affectiones conculcare, sis homo orationis.

SI VIS astutias Sathanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare, sis homo orationis.

SI VIS lætanter viuere in opere diei, & laboris & afflictionis viam incedere, sis homo orationis.

SI VIS in spiritali vita te exercere, & carnis curam non agere in desideriis, sis homo orationis.

SI VIS vanas muscas cogitationum fugare, sis homo orationis.

SI VIS animam tuam sanctis & bonis cogitationibus, desideriis, feruoribus, & deuotionibus impinguare, sis homo orationis.

SI VIS cor tuum virili spiritu & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, sis homo orationis.

SI VIS vitia extirpare, & virtutibus imbui, sis homo orationis.

SI VIS denique ad contemplationem ascendere, & sponsi amplexibus perfrui: sis homo oratio-

oratio-

orationis. In ea enim recipitur sancti Spiritus unctio: quæ de omnibus mentem docet & ad cõtemplationem & cœlestium degustationem, per orationis exercitium deuenitur.

VIDETIS fratres orationis rationes, & quàm magnæ sit potentia & virtutis. Ad quorum omnium confirmationem ommissis Scripturarum confirmationibus hoc tibi fit pro efficaci probatione quòd quotidie audimus, & videmus ad oculum illiteratas & simplices personas præmissis & alia complura potiora dona adeptas fuisse. Sollicitè ergo omnes orationi vacare debent, qui Christum imitari desiderant, & præcipue religiosi, quibus maior ad hoc debet esse temporis copia. Quare inquit idem Sanctus & Seraphicus doctor ad sororem suam scribens, te hortor, tibiq; quantum possum mando districtius, vt pro principali exercitio tuo sumas orationem, nihilq; aliud te delectet nisi oratio. quia nihil tantum te delectare debet quàm morari cum domino, quod fit per orationem.

QVOD INCIPIENTES DEO SERU-
re inchoant à timore, qui diuina est initium
sapientia & de speciebus timoris.

CAPVT X.

SECUNDUM Anselmum in libro Doctrinarum
S omnes incipientes incipiunt à timore ser-
uili, quia à timore seruili incipit filialis. Beatus
datum est habere timorem Dei: timor enim
est fundamentum fidei, charitatis origo, initium
um diuinæ sapientiæ secundum illud quod scribitur